



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

liii [i.e. viii]. Potest natura divinitùs existere sine subsistentia

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

eius existentia aliunde nobis constet: imò si plus non dixissemus, quàm effectum subsistentiæ esse, reddere naturam subsistentem, satis dixissemus, cum accidentium ipsis sensibus notorum sæpe effectum formalem aliter explicare nequeamus v. g. viriditatis, ruboris, quàm dicendo, illius effectus formalis est, reddere subjectum viride vel rubrum. Et sic viros in Theologia & Philosophia celebratissimos de Lugo & Qviedum loqui non potuit.

VIII. Potest natura existere divinitus sine omni subsistentia; cum natura sit prior causalitate subsistentiâ, adeoque antequàm intelligatur subsistens, intelligatur jam existens. Et hæc natura existeret per se, id est, non inhaereret alteri; non existeret per se, id est, non existeret positivè terminata & perfecta propriâ subsistentiâ. Nec infertur contrarium ex eo, quòd res non possit absolvi ab omni ubi & duratione; id enim ideo fit, quia spatium & tempus imaginarium infinitè circumfusum est rei, extra quod existere aucturare nequit. Nec implicat, rem esse sine

sine proprio suo termino, si terminus realiter adæquatè à re terminata distingua-
tur. Conservabitur verò talis natura eo-
dem influxu, quo conservabatur cum subsi-
stentia; quia ab hac non dependet ut ab in-
fluente.

IX. Materiæ & formæ respondent di-
stinctæ subsistentiæ, ex quibus componi-
tur una subsistentia compositi composita:
convenientius enim est, assignare materiæ
permanenti subsistentiam permanentem, for-
mæ caducæ subsistentiam caducam, ne per-
eunte formâ semper necesse sit dicere, perire
totam subsistentiam; & entitati compositæ
subsistentiam compositam; videtur quo-
quæ excedere vires subsistentiæ creatæ, quæ
de facto datur, posse simul terminare & per-
ficere distinctas compositi partes essentia-
les, unde, quòd id fecerit unica subsisten-
tia Verbi, infinitæ ejus adscribendum est
perfectiõni. Nequæ his obstat, quòd for-
ma materialis sit in subjecto sustentationis,
quòdque materia & forma perseverent sibi
invicem communicabiles; nam subsisten-
tiæ munus non est, reddere terminum,
quem afficit, independentem à subjecto,